



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

123. An Confessarius Regularis peccet mortaliter, si nunquam alioru[m]  
confessiones exciperet? Et quid in simili de Sacerdote nunquam in toto  
anno celebrante? Et an Parochus requisitus, sive titulo ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)



## RESOL. CXXII.

An Confessarij designati à Superiore ad excipiendos Fratrum confessiones, possint confiteri Clericos professos fratres sub Cura Magistri?  
Et adducuntur, & explanantur verba ipsa Clem. VIII. pro assignandis Confessariis à Prelatis Regularium, qui possint absoluerè Regulares à peccatis etiam reservatis à prædicto Clem. VIII. & Religione. Ex part. 3. tr. 2. Ref. 5.

Sup. hoc supra in Ref. 106 §. Vnde. ex supra dictis.

§. 1. Negatiuè respondet Peregrinus in comment. ad nostras constitut. p. 1. cap. 9. lit. C. §. 6. quod probat ex decreto Clem. VIII. quod licet loquatur de Nouitiis formalibus, tamen, paulo post in dicto Decreto, quod incipit, *Ut autem Nouiti*, cum sequenti Decreto loquente de nouellis professis, ordinat, vt maneant in secundo Nouitiatu distincto à professis antiquis, & vt instruantur cum maiori restrictione aliorum Professorum, & vt in negotiis monasterij, & communibus tractatibus, & obedientiis exterioribus ne se immisceant. Vnde colligitur, quod quamuis professione emisserint dicti iuuenes, adhuc vult Summus Pontifex, vt permaneant in Nouitiatu, & vt uiuant sub regulis Nouitiorum, & quod non se immisceant cum aliis Professis, quod fieri non posset, si in eorum libertate esset confiteri cui uoluerint ex Confessariis Monasterij. Ita Peregrinus, nulla DD. auctoritate fretus. Non reticebo tamen hanc sententiam ante illum docuisse Portel in dubijs Regul. ver. Nouitij absolutio, n. 36. ubi sic ait. De professis uero qui non sunt Sacerdotes, sed uiuunt sub cura Magistri Nouitiorum, credo quod non possunt ualide confiteri alteri extra suum Magistrum, uel extra illi assignatū à Prælato; quia pro illorum confessionibus solus Magister, uel ille assignatus deputatur ut Parochus, & proinde non potest ille alterum eligere. Ita ille.

2. His tamen non obstantibus affirmatiua sententia magis mihi placet, quam probabilem putat ipsemet Peregrinus ubi supra, nam contrariam opinionem quam ipse tenet, uocat tantum probabiliorē. Ratio est, quia in nostris constitutionibus approbatis à Clemente VIII. in p. 1. c. 9 sic habetur. Confratres autem quisque nostrum suo Præposito, aut cui uolet ex Confessariis, quos Præpositus deputauerit. Et in Decretis Capituli generalis p. 1. c. 6. sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio, &c. Quæ uerba absolute loquuntur, nec distinguunt inter Professos manentes sub cura Magistri, & alios. Vnde ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. ut patet ex l. de prærio, ff. de public. & ibi Glossa. \* Deinde Clem. VIII. in decreto publicato anno 1553. die 26. mensis Maij ordinat Superioribus Regularium, vt deputent Confessarios pro subditorum numero, &c. Ratio autem, quare Pontifex uult vt in Monasteriis plures Confessarij constituantur, uidelicet ne Religiosi propter uerecundiam sacrilegas confessiones efficiant: magis potest militare cum dictis Clericis professis, quam cum aliis; ergo cum Pontifex absolute loquatur in illis uerbis, *pro subditorum numero*, non sunt restringenda ad subditos antiquos, excludendo iuuenes Professos.

3. Ad aliud uero Decretum Clem. VIII. quod pro se adducit Peregrinus, respondet quod non facit ad rem, non solum quia loquitur de Nouitiis formalibus, & non professis, sed etiam quia ut supra dictum est cum Mollesio in summ. tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 83. & aliis, Pontifex ibi loquitur non per modum præcepti irritando confessiones aliter factas,

Sup. in Ref. quæ hic est 105 §. Dicendum & in R. not. 1. huius

sed per modum regulæ, & consilij, quod etiam notat P. Alphonsus de Leone in tract. de officio, & potest. confess. tom. 2. recollect. 1. n. 151. & 152. in terminis.

4. Post hæc scripta inueni P. Suarez de relig. tom. 1. libro secundo, cap. 15. num. 7. nouum sensum adducere super uerba Clem. VIII. quæ nos supra in fauorem nostræ sententiæ adduximus: uerba autem Pontificis sunt hæc. Superiores in singulari domibus deputent duos, uel tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, uel minori, qui à non referentis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, Ita Pontifex. Cuius uerba, ait Suarez dubia sunt, nam duplex potest esse sensus. Vnus est ut duo, uel plures Confessarij indifferenter pro omnibus Religiosis talis domus designentur, ita ut liberum sit cuique Religioso, cui uoluerit eorum confiteri. Alius est ut designentur quidem plures, qui inter se habeant diuisionem onus audiendi confessiones omnium, ita tamen, ut uicuique definita pars, & certæ persone designatæ sint, neque possint, qui uni commissi sunt alteri confiteri. Ita Suarez, qui putat hunc uultum sensum esse ueriores, & posse illum Superiores Religionum eligere & practicare. Quare docet etiam, non esse mentem Pontificis, ut hi Confessores debeant ad minimum esse duo, etiam in paruo Conuentu; quæ omnia si uera essent, satis firmarent opinionem Peregrini, & aliorum, quam supra refutauimus.

5. Sed hanc sententiam Suarez nullo modo admittendam esse sentio. Ratio est, quia clare apparet in illis uerbis in principio Decreti positis, [Nonnullis infirmiorum interdum Superiori suo conscientie maculas detegere formidantes, adducere possent in eternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.] In istis inquam uerbis clare patet Pontificem per illud Decretum prouidere uoluisse, quomodo Religiosorum confessiones liberius fiant, ita ut propter uerecundiam facilitas non committant. Sed si explicatio illorum uerborum, quam adducit Suarez esset uera, in isto periculo, & in eadem difficultate uerlareretur nam subditis cum vno Confessario necessarium esset semper confiteri. Ergo dicta explicatio, tanquam parum consonans literæ, & menti Pontificis, non est admittenda. Vnde ueram expositionem huius Decreti esse nostram, & non illam, quam affert Suarez, patet ex communi usu, & consuetudine omnium Religionum, in quibus post dictum Decretum Clement. VIII. Superiores in suis dotibus plures Confessarios constituunt, à quibus indiscriminatim subditi possint absolui, & de facto absoluantur.

6. Dices quod melius esset, & ad spirituales profectum ualde conducere, non mutare Confessarium. Fateor hoc equidem, sed in nostro casu non agimus de maiori in uita spiritali profectu, sed de medicina languentianimæ tradenda, cui Clementis Pontifex indulgere iudicauit, ut patet in illis uerbis textus, *nonnullos infirmiores*, &c. quæ supra attulimus.

## RESOL. CXXIII.

An Confessarius Regularis peccet mortaliter, si nunquam aliorum confessiones excipere?  
Et quid in simili de Sacerdote nunquam in toto anno celebrante?  
Et an Parochus requisitus sine titulo electionis, sine uel Pastor à suis Parochianis reueatur audire confessiones suarum omnium, quia id illi ex officio incumbit.



Et an hac toties, quoties fuerit requisitus? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 90.

§. 1. Ad hoc dubium affirmatiue respondet Bordonus in consil. Regul. tom. 1. resolut. 34. quæst. 21. num. 60. ubi sic ait. Parochus requisitus siue titulo electionis, siue ut pastor à suis Parochianis, tenetur audire confessiones suarum ouium, quia id illi ex officio incumbit, & id pluribus probat Nauarrus, tom. 2. in c. placuit, num. 152. & plures citat Bordonus, quæst. 7. de pœnit. part. 4. §. 2. num. 23. quod uolunt procedere toties, quoties est requisitus; sed ego puto cum aliis, quos sequitur Syluest. verb. Confessor. 1. num. 14. Francus verb. Absolutio, numer. 28. Atmill. num. 27. teneri quidem, sed non semper, nimirum, quando uiget præceptum confitendi, aut est tempus iubilæi, aut semel in hebdomada deuotionis: si enim quis uellet bis, aut quater in hebdomada confiteri, crederem posse reitici sine peccato, cum Parochus non habeat debitum continuè tempus infumendi pro suis ouibus, sed congruis temporibus.

2. Quod spectat ad alios Confessarios delegatos, præsertim Regulares, puto Confessarium delegatum nunquam audientem peccare mortaliter, quia huiusmodi spirituale exercitium uidetur potius contemneret, quam æstimare, unde gloss. in cap. 3. de offic. Archidiacon. cum Homobon. part. 3. respons. 94. negligentiam esse peccatum mortale in iis, quæ quis ratione officij negligit facere. Confirmatur à simili de Sacerdote toto anno nunquam celebrante. Hæc uisus Bordonus.

3. Sed mihi placet opinio negatiua, quam tuetur Auctora de sacrament. Pœnitent. q. 16. sect. 11. Dicendum est igitur quòd simpliciter non uidetur per se obligari confessarius Regularis delegatus ad confessiones excipiendas, nisi ab extrinseco ex debito obedientiæ, uel charitatis.

RESOL. CXXIV.

In quadam Religione tenebantur Religiosi confiteri determinatis temporibus; quæserunt à me, an teneantur ad hoc, si tantum peccata uenialia haberent? Et an præceptum Clementina obliget tantum, quando Patres Benedictini habent conscientiam peccati mortalis? Et an, si Patres Benedictini habeant peccata mortalia, teneantur confiteri tantum sub onere peccati uenialis? Et an præceptum dictæ Clementina sit contrarium usu derogatum? Et docetur, quod nullus fidelis carens peccato mortali teneatur ad confitendum ex vi præcepti confessionis annuæ: imò nec ad comparandum eoram Parocho, Ex p. 5. tr. 13. & Misc. Ref. 35.

§. 1. Negatiue respondi, quia, ut rectè contra Alexand. 4. part. 9. art. 18. membr. 4. art. 2. Bonauent. in 4. dist. 17. part. 2. art. 2. quæst. 1. & Richardum art. 2. quæst. 8. docet diuus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. q. 3. Scotus quæst. 1. Suarez in 3. part. tom. 4. dist. 36. sect. 2. Valquez quæst. 90. art. 2. dub. 2. & alij. Nullus fidelis carens peccato mortali tenetur ad confitendum ex vi præcepti confessionis: imò, quod est notandum, nec ad comparandum eoram suo Parocho, nisi forte aliquando per accidens ad sedandum scandalum, quando forte ortum sit ex eo, quòd quis non confiteatur; & ratio est, quia Ecclesia præcepto annuæ confessionis tantum præcipit semel in anno fieri id, quod Christus præcepit fieri extra articulum mortis, non determinando tempus; sed Christus nullo modo præcepit confessionem uenialium, sed tantum mortaliu; ergo ex vi dictorum præceptorum nullus

Tom. VII.

tenetur ad confessionem uenialium, adhuc quando non habet mortalia.

2. Sed aduersus hanc doctrinam facere uidetur Clem. Ne in agro Dominico, de statu Monachoru. Unde asserit Valquez ubi supra aub. 3. Suarez sect. 5. Canus relect. de pœnit. dist. 6. n. 22. & alij, quòd ex illa Monachi Benedictini tenentur confiteri singulis mensibus, etiamsi habeant tantum peccata uenialia, & hoc sub onere peccati mortalis, ut uult ex Valquez Hurtadus dist. 7. de pœnit. diffie. 8.

3. Verum licet Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. Sotus dist. 18. q. 1. art. 3. glossa dist. Clem. & alij contrarium asserant, hæc non obstant in casu nostro. Primò, quia præceptum dictæ Clementinae fuit impositum ab Ecclesia, quæ tamen potest secundum aliquos præcipere confessionem uenialium, ut probat Hurtadus loco citato. Sed in casu de quo interrogatus fui adgit tantum præceptum regulæ illius Religionis, quæ certum est nullam potuisse habere facultatem, & potestatem circa materiam sacramenti Pœnitentiæ, ergo, &c. Secundo asserunt aliqui, præceptum dictæ Clementinae obligare tantum, quando Patres Benedictini habent conscientiam peccati mortalis: & ita cum multis aliis docet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diffie. 28. n. 5. qui antea n. 4. sententiam, quam ego circa præsentem quæstionem consului, tenet in terminis, ut dici solet, terminantibus; sic enim ait. [El que no tiene mas de pecados ueniales, no tiene obligacion de confesarse al año; la razon es, porque el precepto diuino no obliga à confesar los pecados ueniales, y como este precepto Ecclesiastico no es nueuo, sino que determina solamete el tiempo, siquese que tanpoco por fuerça deste precepto estamos obligados à confesar los pecados ueniales, y entonces basta que se presente al parocho, porque no parezca que llega temerariamente al Sacramento de la Eucharistia. Infiere tambien que los Religiosos que estan obligados por sus reglas à confesarse en ciertos tiempos, no estan obligados à hazerlo, no teniendo pecado mortal.] Ita ille, qui, ut uisum est, in his ultimis uerbis in specie determinauit casum, de quo ego interrogatus fui.

4. Notandum est etiam hic obiter, quòd Patres Benedictini etiamsi haberent peccata mortalia, tenerentur confiteri tantum sub onere peccati uenialis. Ita contra Hurtadum probabiliter tenet Henriquez lib. 1. de pœnit. c. 4. n. 10. & Villalobos ubi supra, qui etiam addit præceptum dictæ Clementinae esse contratio uis derogatum.

RESOL. CXXV.

An privilegia Regularibus concessa celebrandi tempore interdicti sint reuocata per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 12. Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 213. Et ad litteram in p. 3. tr. 2. Ref. 133. Sed hic vna tantum transcribitur.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Nauarrus in man. c. 27. n. 190. Garrias de benefic. part. 3. c. 2. à n. 278. qui in addit. ad p. 5. c. 8. n. 87. uer. ad 8. testatur sic respondisse S. Cardinalium Congregationem consultam ab Episcopo Abulensi. Et idem asserit Armentarius in addit. ad recopil. leg. Navarra, lib. 2. tit. 18. leg. 7. de Relig. n. 73.

2. Sed contrarium docent, Henriquez li. 13. c. 48. §. 1. Rodriq. tom. 2. q. 112. art. 11. Sayrus de cens. lib. 5. c. 13. n. 24. & 25. Io. de la Cruz de statu Rel. lib. 2. c. 7. dub. 2. concl. 2. Miranda in man. Pralat. tom. 2. q. 57. artic. 12. Homobonus de exam. Eccles. tr. 11. c. 12. q. 25. res. 1. & alij, asserentes, specialia Regularium priuilegia, ut pro suis festis, uel aliis certis diebus non seruēt interdicta, Tridentino Decreto non esse reuocata.

H 2 RESOL.

Et pro contento in hoc § Sed aduersus, n. tom. 1. §. 3. R 61 §. 1. ut in principio, & in tom. 3. tr. 1. R. 24. §. 2.

\* Sup. hoc in Ref. 1. non praterita, §. Quæ omnia, & in Ref. 2. §. 1. & melius in tom. 3. tr. 1. Ref. 3. per totam.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 3. R. 61. §. vii. post medium à uerf. etiam si moa. hi.